


LVNÆ DIE 18 M. FEBRVARII A. 2013

A.d. XII Kal. Martias a. MMXIII

I 7 2

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIS
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

ABIES «ELECTRONICVS»

Si quis tempore Natalicio anni 2012 Bruxellis in clara platea Magni Mercatus per turbam lustratorum ambulavit, certe miratus est adspiciens altam singularemque structuram ante curiam erectam. Superioribus annis, eodem loco eodemque tempore, erigi solebat maxima abies; hæc autem consuetudo obsoleta visa est ædilibus urbis, qui plateam ornare maluerint modo magis «hodierno». Pro quo ludibrio eos non puduit pretium octies maius solvere, quam pretium arboris Nataliciæ.

Nolimus disputare de controversia inde orta, aliis rem (iure et merito) iudicantibus foedam, aliis pretium vituperantibus in hoc discriminé economico nimium, aliis denique suspicantibus ædiles tollere voluisse insigne christianum... Satis nobis sit rem ipsam spectare.

Est structura, cuius ossa, ut ita dicamus, tubi sunt metallici et cuius cutis constat e pannis albis; carnem non habet hæc abies; vacua enim est et homines, pretio soluto, ascendere possunt usque ad fastigium, unde dicitur pulcher prospectus dari in pulcherrimam Bruxellarum plateam. Vix crederes hanc rudem structuram confectam esse, ut abietis aspectum præberet. Hoc tamen erat consilium, ut patet e tabula lucenti in proximo posita, ubi legitur hoc: «ABIES ELECTRONICUS». Ædiles nostros nescire arborum nomina in Latino feminini esse generis, non miramur, at nonne aptos homines interrogare potuerunt?

Certe gaudemus, cum nostris temporibus ponuntur inscriptiones Latinæ, sed etiam velimus eas esse recte scriptas. Tantum neglegitur hodie lingua Latina, ut menda exhibere liceat sine verecundia: cum nemo utique intellegat...

Non meliores sunt condiciones apud vicinos nos-tros. In Francogallia nuper in lucem editus est liber, c.t. *Pullus Nicolellus Latina lingua*.¹ Nicolellus sive *Le petit Nicolas* notus est omnibus Francogallis et Francogallice loquentibus qui ab anno 1959 aliquando pueri fuerunt; nitidulus cum sit, optimum fuit propositum, versionem Latinam scholarum discipulis offerre. «Iucundum», scribebat quidam diurnarius, «sed difficile»... Nec sine causa: textus enim infeliciter scatet mendis, quæ longum est hic enumerare. Brevi dicamus ‘suus’ pro ‘eius’ sæpius ponи, ‘quod’ cum ‘quid’ non raro confundi, in sententia obiectiva plerumque desiderari accusativum, consecutionem temporum esse insolitam, denique Latinitatem nonnumquam ita esse mancam, ut sententia nullo modo intellegatur.² Feliciter additum est lexicon, aliter numquam intellectissimum ‘sollerterphonascum’ esse telephonum gestabile et ‘graphidem-ad-cædendam machinam’ instru-

mentum esse cupidarium.³ Ceterum in titulo pleonas-mus (‘pullus Nicolellus’) non erat necessarius. Sed magis extraordinarium: Nicolellus noster, qui in his fabulis semper dicit «C'est chouette!», i.e. «Iucundum est!» sermone populari, Latine nunc dicit «Glaucops est!», quod vocabulum non exstat, sed mirum in modum excogitatum est e Græco γλαῦξ, Lat. *noctua*, Fr. *chouette* (i.e. *avis nocturna*).

Liber, cuius successus tantus est ut nova impres-sio iam sit facta, laudatus est in periodico *Paris Match* (29 Nov. - 5 Dec. 2012) symbola, quæ his verbis incohatur: «Lingua mortua uti, hoc est vocabula e sepulcro haurire.» Quæ sententia interpretatione eheu non indiget... ☺

Gaius et Francisca LICOPPE-DERAEDT

1. R. Goscinny, J.J. Sempé, *Pullus Nicolellus Latina lingua*, in Latinum verten-
tunt Marie-France Saignes & Elisabeth Antébi, Paris, IMAV éditions, 2012.

2. Exempli gratia: «Tumque mihi mammicula superhyper vidulum emit, ete-nim ludo liberati cum vidulis cacchianamus, nam eos nos conjicere gaudemus in collusorum cruscula ut dejiciantur et mihi nihil etiam longius videtur quam collusores meos viderem et deinde mammicula minirevolventi cata-pultæ vaginæ simile marsupium cum instar avione graphidem-ad-cædendam machina emit, cummi musculo simile, graphidem carbone tibiæ similem et cetera cetera quæ ceteris similia sunt, et quocum quoque nos sannionibus similes ridebimus» (p. 18).

3. *Taille-crayon, pencil-sharpener*, cf. S. Albert, *Imaginum vocabularium Latinum*, Saarbrücken, Societas Latina, 1998, p. 24.



VNIO EVROPÆA

PRÆMIO NOBELIANO HONESTATA

- scripsit Gaius Licoppe -

Die 12 mensis Octobris anno 2012 Consilium Nobelianum in Norvegia Præmium Pacis tribuit Unioni Europæa; quod præmium Nobelianum die 10 insequentis mensis Decembris Osloæ sollemniter accepérunt Unionis regentes; consulto vero non adfuit caput regiminis Magnæ Britanniæ, qui contumeliam Unioni imponeret.

Hi pauci, qui dicunt hoc præmium non esse meritum, ignorare volunt id eo tributum esse, quod post alterum bellum mundanum in Europa ortus est motus civitatibus fœderandis, quo effectum est, ut pax ibi floreret et odio inter nationes succederet frugifera cooperatio. Sexaginta sex anni pacis in Europæ civitatibus, quæ pertinent ad Unionem, est extraordinarium miraculum; numquam enim sæculis præteritis cives ibi tam diu pacati fuerunt et insuper, hoc est novum, iuribus hominum, quæ dicuntur, fructi sunt.

Detractores dicunt Unionem extra suos fines operam paci non efficaciter dare, quod verum est, sed causa est quod fœderatio Europæa in rebus extraneis curandis adhuc est nimis debilis, cum politice sit valde imperfecta. Infeliciter etiam in rebus œconomicis nondum valet, ut patet e gravi discrimine, in quo nunc versamur.

Sunt qui dolose susurrent causam crisis œconomicæ esse ipsam Unionem Europæam; quare die 5 mensis Decembris a. 2012 duo seniores magnæ auctoritatis a televisione Germanica invitati sunt, ut Bruxellis in Parlamento Europæo de Unionis statu propriam pateferent sententiam.

Helmodius Schmidt, semper virens etsi 93 annos natus, qui cancellarius Germaniæ occidentalis fuit annis 1974-1982, præsertim dixit neminem inter hodier nos regentes alterum bellum mundanum novisse, nisi fortasse cum esset puer; memoravit quibus ingentibus conaminibus pacata Europa confecta esset, cum hodier ni putare videantur hoc sua sponte factum esse. Etiam Parlamentum incitavit, ut insurgeret; Consilium enim Europæum, postulante Magna Britannia, Unionis dispensationem minuere velle; eam contra esse augendam: «Vacatio operis, ait, quam patitur amplius dimidia pars iuvenum in Græcia et Hispania, est scandalum; hoc numquam fuit, etiam tempore magnæ depressionis œconomicæ (1929); augere oportet partem dispensationis aptam ad munia creanda.»

Alter eadem occasione interrogatus in Parlamento fuit Iacobus Delors, 87 annos natus; qui, cum ab anno 1985 ad annum 1994 præstans Commissionis Europæa præses esset, maximam operam dedit ad Europam fœderandam ac nunc omnino consentit cum Helmodio Schmidt. Anno 2010, cum creatus est Grex Spinelli,

quo congregantur parlamentarii Europæ magis fœderandæ faventes, Iacobus Delors esse voluit in consilio patronorum. Nunc autem laudat industriam præcipuum Gregis Spinelli auctorum, Vidonis Verhofstadt et Danielis Cohn-Bendit, qui quamquam de multis rebus politicis non assentiuntur, de futuro Unionis Europææ idem censem.

Illi duo anno 2012 librum in lucem ediderunt, c.t. *Surge Europa*, in quo diversas œconomici discriminis causas investigant.

Tractant imprimis de causa œconomicæ. Civitates Europææ, cum nondum sint vere fœderatæ, magis magisque debiles fiunt propter mundi globalizationem; nam in competitione commerciali impares sunt multo maioribus et potentioribus Sinis, Indiæ, Brasiliæ, Russiæ et Fœderatis Civitatibus Americæ. Singularum civitatum instituta inspectoria impedire non valent abusus societatum multinationalium, quæ de limitibus non curant. Sola cœnita Europa satis potentia habere potest, ut moderationem œconomicam argentiariamque imponat in mundo, ubi nunc viget irrevocabilis globalizatio.

Europa infeliciter aspectum magis magisque præbet monumenti historici. Propter civitatum pertinacem divisionem eius sumptus publici quoque multo maiores sunt quam, exempli gratia, in Fœderatis Civitatibus Americæ. Exercitus est bonum exemplum: amplius duo miliones militum nunc sunt in Unione Europæa, cum illic tantum sint 400 milia, et multo efficaciore.

Deinde agitur de causa politica. Multi nunc homines ab improbo genere politicorum adducuntur, ut dubitent sitne pergenda fœderatio Europæa; obliviscuntur foederationem, etiam imperfectam, imprimis pacem et fraternitatem inter populos attulisse; deinde eam factam esse magnam aream commercialem sine internis limitibus, e qua communitate singulæ civitates magnum fructum adipiscuntur.

Novissimus gradus in via perfectæ fœderationis factus est, cum moneta communis, euro nominata, creata est; hoc tamen fieri non potuit cum omnibus Unionis participibus. Anno 1992, cum pactum est fœdus Traiectus ad Mosam (*Maastricht*), Angli euronem participare noluerunt, id quod eis permissum est stipulatione peculiari. Hoc est initium longæ intermissionis in fœderationis processu; Angli semper effecerunt, ut Unio maneret tantum magna area commercialis, sine auctoritate politica supranationali. Communis tamen moneta obstacula monetaria inter civitates sustulit, imprimis sumptus cambii, atque effecit ut inflatio maneret parva et fenus humile; insuper multum auxit

QVÆSTIONES HODIERNÆ

commercium intra aream euronis.

Hodierna euronis debilitatio accidit, quia eius area eget sua propria dispensatione œconomica necnon Unionis communi politica argentaria, fiscali, œconomica et sociali. Nulla enim moneta impetibus speculatorum argentiariorum resistere potest, si validi regiminis præsilio caret. Quod comprobatur exemplo Fœderatarum Civitatum Americæ et Iaponiæ; Fœderatæ enim civitates maius æs alienum habent, quam simul cunctæ civitates areæ euronis, sed hoc non videtur dollario nocere; Iaponia autem summum æs alienum habet in toto orbe terrarum; nemo tamen dubitat de validitate monetæ Yen ac minimum fenus ei est solvendum in mutua pecunia sumpta. Ambæ hæ monetæ a firmo regimine sustinentur, quare nemo cogitat fenus aliquando solvi iam non posse.

Contra in area euronis defuit solidarietas inter civitates nec ulla regula respecta est a diversis civitatibus, quod spectat ad dispensationem ærarii. Euronis conditores sciebant hanc monetam communem persistere non posse sine communi politica œconomica et argentaria omnium civitatum euronem participantium, at solum regulas non coercitives dederunt. Anno 2003 Germania et anno 2005 Francogallia euronis regulam argentariam non respexerunt, tamen non condonatæ sunt; hoc iam cœpit credibilitati euronis nocere; post hoc pessimum exemplum non mirum est quod minores civitates idem fecerunt.

Inter Fœderatas Civitates Americæ non minor est divitiarum diversitas quam inter Europæ civitates; hæc tamen diversitas superatur, quia dispensatio ærarii fœderalis est 23% Rudis Producti Interius. Sola dispensatio veri ærarii Europæi fiduciam restituere potest; creatio magni mercatus Europæarum syngrapharum obligatoriarum (*Eurobonds*) attrahet civium peculium, quod in Europa solet esse magnum.

Contemptores Unionis Europææ provehunt obsoletas notiones nationalisticas, conservatorias et populisticas. Nationalistæ in suo delirio homines in finibus nationalibus volunt includere; hic agendi modus iterum afferret conflictus et violentiam. Dimidia pars hominum nunc vivit in metropolibus, ubi necessario inveniuntur variae linguæ, religiones et cultus.

In Europa nunc sunt 44 civitates; si nationalistas sequimur, earum numerus augeri potest usque ad 350! Nationalismus est manifestatio mentis hodierno mundo multiculturali non aptatæ. Nolimus ergo incidere in plagam identitatis nationalis, quam prædicant nonnulli dicentes hodiernum mundum globalizatum homines relinquere sine signo identitatis; animum tranquillum gigni communitate sive ethnica, sive reli-

giosa, sive linguistica; (et ipse addo: sic quoque sibi feudum etiam parvum reservant politici potestatis avidi). Nolimus oblivisci ante paucos annos Serbos alienas gentes trucidavisse nomine identitatis nationalis. Europa nationum est reliquum tempus præteriti, non bona via in futurum.

Postea auctores tractant de causa institutionali. Commissio et Parlamentum Europæum sunt maximæ Unionis Europææ auctoritates. Commissio Europæa sola novas leges Europæas proponit, quæ suffragis in Parlamento comprobandæ sunt.

Cur Commissio novas leges necessarias iam non dat? Quia ab anno 2000 omnino pendet a Consilio Europæo, cuius facta est quasi secretariatus. At Consilium Europæum, quod constat e capitibus omnium Unionis civitatum, est grex hominum, qui suam quisque gentilem utilitatem solum curant, neglecta utilitate Europæa. Civitates nolunt propriam perdere potestatem; cupiunt Unionem manere confœderationem civitatum sui iuris, nolentes fateri singularem potestatem in mundo hodierno iam parvam factam esse ac minimam factum iri in proximo futuro. Sic fit ut paucæ potentiores civitates, præsertim Germania et Francogallia, de omnibus rebus solæ statuant.

Deficientibus politicis, oportet ei cives, qui bene intellexerunt ubi esset Europæorum bonum, ipsi operam dent ad foederandas civitates. Oportet fœderalistas in Parlamento Europæo eligere, ut plurimi sint post suffragia anno 2014 danda.

De linguis in Unione Europæa vix quicquam dicunt libri auctores, cum hæc eis non videatur esse magna difficultas. Indiæ exemplum afferunt, ubi in constitutione agnoscuntur 23 linguæ; Hindi maxima lingua est, qua utuntur 41% incolarum; lingua Anglica, qua uti valent 1,5% Indorum, etiam a regimine accipitur.

Mea tamen sententia Unio Europæa debilitatur linguarum nimietate. Videmus enim in Brasilia, Russia et Fœderatis Civitatibus Americæ unam tantum linguam in regimine adhiberi; in Sinis regimen maximopere operam dedit ad Mandarinam septentrionalemque linguam imponendam in ingenti re publica, ubi fere mille linguæ et dialecti sunt in usu.

Puto linguam Latinam, cuius usum consulto exstinxerunt nationalismi, multum prodesse posse ad Europæorum fraternitatem potentiamque augendam, si latius, amplius et vividius doceatur. Hæc est ipsa causa, cur ego pro meis viribus iam quadraginta annos operam dem ad hanc linguam provehendam. ↗

«VOS EA NESCITIS, QVÆ NOBIS PRISCA VETVSTAS TRADIDIT»

– *scripsit Marcellus Grifò –*

« Si versus per ambages loquentes in ænigmata eo immutantur, ut lector a mente deseratur in ipso eorum inveniendo sensu, pro meis viribus eos respuo. Narrat Quasimodo, prænobilis poeta Italorum, a spectatoribus optimis, Genuæ, in publico theatro esse plausum illius lectioni carminis sui quod *De vento in urbe Tyndaride* canit. Vix dubitare possum an illa non fuerit exquisitissima delectissimaque turba stultorum qui quod non intellexerint probaverunt. Usque adhuc enim, sexaginta transactis annis, quid sibi velint versus illi incertum est et evagatur ».¹

Ita scribebat ad amicum, iam ingravescente ætate, Ioseph Morabitus, vates Musis Romanis gratissimus, doctor Latinis Græcisque litteris tradendis Messanæ notissimus, sed Rhegii apud Calabros natus ineunte sæculo vigesimo.

Paucis quæ supra memoravimus verbis revelatur præclari illius hominis ingenium et præbetur planum iter ad recte intelligendum quid de tempore suo poeta senserit deque hominibus in eo inhabitantibus.

Studiis litterarum expletis in Athenæo Neapolitano – ubi post dicet se nullos invenisse magistros, sed tantum sapientes – assecutus doctoris est gradum et, usu philologiæ minime captus – quæ iis temporibus non-nulli de occasu illius felicis ætatis arguebant in qua studia Græcitatis et Latinitatis renovata sunt – primum carminibus Italicis faciens, non sine quodam lepore, se dedit. Sed occursu cuiusdam poetæ ex Tuscis orti, Alifredi Bartoli, qui præmio ter in certamine Amstelodamensi affectus est, vitæ cursus iuveni Latinæ linguae studiosissimo mutatur.

Huius docti consilio et auctoritate, Morabitus munierum poeticorum curriculum effusis habenis incepit et per multos vitæ suæ annos fere centies carmina sua laudata vel etiam palma victoriæ donata vidit. In litteris Græcis Latinisque docendis quadraginta duos annos se contrivit, quorum maximam partem Messanæ egit. Ibi obiit admodum senex anno MCMXCVII, tribus tantum annis deficientibus ad centesimum implendum.

In consessu illorum qui strenue operam dederunt suam ut antiqua Romanorum lingua iterum sermocinarentur homines et in viis plateisque novæ resonarent veterimæ Latii voces Ioseph non sedet. Neque autem ad numeros tam vane induxit oblitos levia Musas movere corpora, ut stupor et admiratio doctissimi scriptoris teneret animum legentium. Quin etiam Latinitatis, ut ita dicam, ludiones fastidiosus neglexit, cum eos duceret vaniloquos ac iactatores germanos.

« Solent ad me Latine scribere et Latine respondeo » inquit doctor optimus diurnario cuidam qui in eius congressum venerat « sed cum mihi videntur ostenta-

tionis causa hoc fecisse ad eos Italice rescribo ».

Revera Latinitatis studiorum innovatio in qua ætatem integrum Ioseph Morabitus consumpsit suam, tantum afuit ab improviso quorundam lusu qui reficere, vel immo, effingere Ovidium vel Pontanum unum student, quantum Mysorum ac Phrygum termini discreti sunt.

Eius quidem sententia, poeta omnia fucata et simulata a sinceris atque veris secernit, qua de re numquam Italus vates incubuit ut apta vel frustra machinosa inveniret verba quibus hodiernæ artis technicæ multa ac nova inventa exprimerentur.

Quæ enim vana exercitatio, in dies crebrior facta, ut vera dicamus, minime putari digna potest Camenarum amico ab eis qui vanius excogitatum Latinum vapide vident limpida aqua clarisonarum Romanarum vocum dilui.

Habuit Ioseph Morabitus severa pulchritudinis ac venustatis præcepta quæ maxime eum deficere non possunt qui non factorem versuum, sed vere carminum auctorem se haberi contendit.

Nam aliud est mortua Latina vocabula apponere, quasi vestes pretiosæ ex quadam seclusa arca tandem reseratae oculis circumspectantium exponantur, aliud est linguam ad vitam revocare veram, puellarum more formosarum quæ, sinus peplorum eleganter componentes, ut gratia corporis fiat eminentior efficiunt. Neque a corporibus vestibus inserviendum quisque suæ mentis compos putaret, sed potius vestes texuntur ut corpora tegant et mirantium animos in ea convertant.

Haud secus poeta ille, Siculæ adoptivus huius terræ filius, Latinis usus est versibus homines depicturus temporum suorum et antiquorum, quid sit humanitas assidue et præcipue investigans.

Maiores nostri vatem appellabant servum Pieridum, quoniam eius non est tantum aures audientium mulcere, sed potius munus exercere sibi divinitus datum ut quod ceteri videre nequeant ipse cernat et aliis conspicuum faciat.

Verbum poeticum apud Morabitum viva hominum contemplatione scatet et quælibet occasio materiem ad flammarum alendam suppeditat. En vivide expressa in carmine cui nomen *Pericula* est longa caterva iuvenum in schola sedentium, primo æstatis calore, quæ *tradita pensa gravis defixa mente volutat*. Omnia lustrat oculus magister *ne quis ab alterius foliis catus auferat, acer*. Statim animum eorum perscrutatur *dum cupidi evolunt permagna volumina moxque / scribere versa parant, / dum frontes passim calido sudore madescunt, / candet et aura calens* (*ibidem*, vv. 1; 5-6; 13-16). Nunc adest tempus sollemne quo discipuli inquiruntur ut

quid didicerint demonstrent et ipsi, anxii, quæ graviora pericula vita se mox coactura sit adire ignorant.

Hæc dum poeta volutat animo, *in vacuo virgo obtutu velut immemor hæret / nescio quæ meditans; / inde levis subridet bians secumque labellis / verba refert tacitis.* Stat vates et miratur et lectori incipit narratio: *Ex illa videor quandoque hæc querere: «Quidnam / nunc tua corda tenet? / Intentam tetigit dulcis te matris imago, / ignis an alter inest? (ibidem, vv. 17-24).*

Sed ratione officii eius magistro iuvenes corda per raro aperiunt sua et, hoc conscient, sapienter rem ferent ille, quamvis tacito monito expresso: *Ne limis oculis, peragro dum durus ubique / me, precor, inspicite. / Num Rhadamantus adest? Num Cerberus ore tremendus? / Pellite corde metum (ibidem, vv. 29-32).*

Intimis alitur sermonibus Ioseph Morabiti poetica ars, quasi silens secum ipse et semper in cogitationibus defixus suis loquatur poeta.

Favere linguis necesse putabat ille sapiens ut in animo resonarent rotundæ innumeræ tenuissimæque voces vitæ strepitū et cotidianis rebus obtusæ. Hoc esse vatis censebat: pretiosa metalli vestigia in cordis saxis undique abscisis investigare et ea aptis aperire verbis iis quæ tantum a poeta scite atque probe inveniri possunt.

De qua re Morabiti filius ita memorat: «Tribus interiectis diebus post obitum matris, petuit ut me comitem sibi præberem in nocturno itinere per Messanæ vias et plane de improviso adiecit: Quam pridem nocte non spatiabar neque mente fingebam urbem tot crebris luminibus lucentem. Hæc fuerunt eius sola verba itinere per duas horas confecto. Sed ambo, quamvis taciti et meditationibus nostris intenti, mutuo fru batur coetu».

Ita humilia vati facile divinum conciliant afflatum et usus cotidiani in versus convertuntur. Ut sortilegus ille Vergilianus, instinctu divino commotus, ad quæsita consulentium ardentes intorquebat oculos, signum communionis supernorum, et frendens ora resolvebat fatis, ita iste vates recentior omnem visionem adventiciam statim deponit et a terrenis transeuntibus ad alieni mundi firma æternaque rapitur: *Iamque manus quandoque tremit, stant lumina longe / lacrimulis natant; / mecum verba loquor tacitus digitique moventur / auriculæque sonant... / Lente incedentem iam nunc borrere poetam / desine, docta cobors! / Spectat nilque videt: transversum – credite! – vobis / Musa benigna rapit (ibidem, vv. 45-52).*

Cum eæ penitus arripi non possent, Musas suæ ætatis et nostræ Morabitus non solum neglexit, sed etiam sprevit. Asperrimis verbis versus, ut ita dicam,

novos simulatos, inconcinnos, illepidos increpavit et nonnullis scriptis in ephemeredibus vel in litterarum actis editis pluries quæ sentiret aperuit de his.

Iam superioribus annis declaraverat gravibus et pressis verbis: «Id classicum recte dici potest quod ad numeros modosque, ad perspicuitatem, æquabilitatem, sinceritatem informatur. Scriptor classicus est qui obscura fastidit et involuta». Post adiecerat: «Si in versibus nihil est intellectu, explicatu, versu, commentariis illustratu, evulgatu, valde dissentio et ad mortuos configio, ut cum eis colloquar, vel etiam ad æquailes qui, mentis suæ compotes, non delirent».

Hoc contra illos dicebat qui, cum pro nihilo facerent antiquitatis exempla nostræ versificationis ætatis causam suscipientes, magni tamen momenti adfirmabant esse dicendi genus quod sese ut signum nudum præberet. Inter quos præsertim numerandus doctus quidam in Italia pernotus qui contumeliose poetam nostrum «veterum induratum adsectatorem» adlocutus est.

Morabitus pro parte sua iam pridem in hanc sententiam locutus erat: «Censores rerum litterarum ac poetæ huius temporis sæpius mihi petauristæ videntur inanum verborum colluvionem effundentes. Hæ sunt halucinationes mentis insanientis immo, verum ut fatear, alvi profluvinum».

Ex hoc facile argui potest quam longe afuerit senex vates a modis, numeris, vocabulis, et – un verbo – a vita et mente sæculi sui. In quod, tamquam in exilium pulsum, clarus scriptor Italicus eum feliciter expressit.²

Discipulus illius Bartoli, qui *Pascolianis musis enutritus ei videbatur*, Morabitus bella et heroas non cecinit, sed potius cotidiana et humilia et ea semper oculis in supernaturalia coniectis: *At mens trans montes, ponti trans cærula, cælum / trans infinitum, quadam vi ducta volabat: / actas ætates, ætates usque futuras / fingebat sibi avens ignotos querere rerum / cunctarum casus, stellas spectare remotas / continuo motu spati per aperta ruentes, / horror sed subitus quatiebat membra (Leopardiana, carmen anno MCMLXXXVII conscriptum).* Nihil boni forsitan hominibus iam expectandum et omnium gentium toto orbe terrarum historia ad exitum ruit suum: *Ut magna rerum condita viderit / humana mens et corpora in infimis / se vertere immani volatu / tenuia visceribus videmus, / maiora tangent nos quoque, et anxii / scrutamur ævi quod fuit, anxii / quod post erit, quantum malorum / terrigenis supereret feren dum. / Circum patrati nam sclera omnia / leges rumpi cernimus. Impia / sævire nonne audet iuventus / et pueros rapiens senesque, / utique ferro divitiæ ut cito / spretis perclis proveniant sibi?/ Non durior tanto ad rapi-*

nas / belua prosiluit furore. / Præcepta vitæ quæ fuerant velut / lucis columnæ, moribus in dies / concussa mutatis labascunt / ac tenebræ subeunt minaces. (Ad *Iacobum Leopardi*, carmen anno MCMLXXV conscriptum, vv. 9-28).

Nihilominus, interdum spes poetæ affulget et malorum præsentium contemplatio vincitur bona hominis natura, cuius animus semper est in meliora intentus. Ita papæ Iohannis Pauli II Messanam adventus e somno civium suscitat animos desperatam incolentium terram, quæ multis ægrotia morbis veneno pericitatur publicæ neglegentiæ: *Nunc tota sancto percita gaudio / Messana te lassum labore / innumerisque viis salutat canit Morabitus lætus* (*Ad Iohannem Paulum II Messanam ineuntem*, carmen anno MCMLXXXVIII conscriptum, vv. 2-4). Prima Evangelii Christi tempora nuntiandi ante nobiles vatis oculos renovari videntur et statim in mente eius occursa antiqua gesta Apostoli gentium, in poeticos numeros redacta, more sollemni memorantur: *Ardore Christi Paulus apostolus / flagrans petivit multa Asiæ loca / ut panderet præcepta vitæ / non peritura Deumque verum. / Doctas Athenas tangere fervidus / est ausus, arctum nec timuit mare, / unde Ætna surgens sæpe gentes / concutit horrifico boatu. / Regina pressit dein pede litora / ac prima sulcis semina tradidit; / hæsere quod stantis columnæ flammula corriput cacumen. / Hinc fixa Paulus lumina trans fretum / vertisse primum creditur anxius: / sub collibus Messana nudis / semina et ipsa diu vocabat.* (*ibidem*, vv. 5-20). Apostolum reviviscentem nunc civitas antiqua iterum excipere videtur et de improviso imaginem Papæ tot laboribus fatigati, ipse Tarsensis superponit: *Ne cessa in agros spargere semina / fiderenter; olim cernere temporis / sic lumen in terris beati / mox valeas oditis fugatis. Te, Paule, votis excipimus piis / gratesque habemus nunc tibi maximas / cum virginis sanctam coronam / Eustochiæ es capiti daturus.* (*ibidem*, vv. 25-32).

Fuit Morabitus civis idemque poeta et in contentiobus tempore suo ferventibus sæpe et animi quodam impetu versatus est. Enixe contra detractores scholam more antiquo constitutam defendit, cum aliena cupidine innovandi in studia humanitatis ab usu Italorum extrudenda a multis conspirabatur: «Ab iis qui hæc æquo animo ferunt, pudore affectis, persona capitii adicienda et e conspectu civium discedendum: sicarii enim sunt, subiectores, corruptores pupillarium». Quid vehementius dicere poterat? Sed erant verba eius (et etiam aliorum) *vox in deserto clamantis et proxima clades iam in dies manifesta fiebat*.

Percontantibus cur tam strenue pugnaret pro causa quam sciebat perditam, respondere solebat: «Non vivi-

tur victoriis, potius honestate vivitur».

Morabitus mortuus est abhinc quattuordecim annos. Sicelides musæ, mæstæ, adhuc tacent et in salicibus suspenderunt organa sua. Nos quoque eum desiderantes tacemus. ☩

1. Epistula J. Morabiti ad J. Miligi data Messanæ a. d. vii Kal. Jan. anno MCMXCI.

2. Ille erat Iohannes Papini, scriptor et poeta Florentiæ natus anno MDCCCLXXI et ibidem mortuus anno MCMVI. Georgius Aloisius Borges eum dixit «immerito oblitum». Papini cum Morabito convenit anno MCMXLVII et ab eo valde commotus est. De poeta Latino pauca alia commemorat in *Diario post mortem edito* (MCMXII).

Ut in rem penitus descendatur legatur:

D. Condoleo, *Giuseppe Morabito: poeta e prosatore latino*, Bergamo 1956.

V. Fera, E. Morabito (a cura di), *«Esiliato nell'inumano Novecento».*

Testimonianze per Giuseppe Morabito, Messina 2000.

V. Fera, D. Gionta, E. Morabito (a cura di), *La poesia latina nell'area dello Stretto fra Ottocento e Novecento*, Atti del Convegno di Messina, 20-21 ottobre 2000, nel centenario della nascita di Giuseppe Morabito (1900-1997), Messina 2006.

M. Grifò, *Morabito Giuseppe* in F. Armetta (a cura di) *Dizionario encyclopedico dei Pensatori e Teologi di Sicilia. Secc. XIX-XX*, Caltanissetta-Roma 2010, pp. 2098-2101.

DE IMMENSO CÆLO (IV)

(1543-1630: TYCHO BRAHE, IOHANNES KEPLER)

- *scripsit Gaius Licoppe* -

Tycho Brahe (1546-1601), primus clarus astronomus post Nicolaum Copernic, est nobilis Danus, origine Suetus, qui optime studuit in compluribus universitatibus etiam mathematicæ et astronomiæ. Ultimus est magnorum astronomorum, qui cælum observaverunt oculo nudo.

Cum septemdecim tantum annos natus sit, fit coniunctio Iovis cum Saturno, quæ tabulis astronomicis nuntiabatur, sed cum errore complurium dierum; insuper hac occasione comperit tabulas astronomicas inter se non congruere. Inde vitæ scopum sibi instituit tabulas multo exactiores conficere. Est eximius cæli observator et mappam stellarum conficit, ubi earum positio novis instrumentis a se confectis exactius definire valet; cursus planetarum quoque diligentissime observat et notat.


Die II mensis Novemboris a. 1572 in cælo evenit aliquid rarissimi: nova stella apparet in sidere Cassiope, magis nitens quam Venus; eius tamen nitor tam celeriter minuitur, ut iam anno 1574 adspici non possit. Docti putant eam esse cometam sine cauda in spatio sublunari sitam, cum sphæra hærentium stellarum omni ævo habita sit ut immutabilis. Tycho Brahe vero eam diu observat notatque eam loco non moveri in sphæra hærentium; cum omnes planetæ cometæque loco moveantur, colligit eam esse novam stellam, quæ æque longe abest ac stellæ hærentes. Hoc explicat in opusculo *De stella nova* anno 1573 edito. Scimus nunc hoc singulare eventum fuisse displosionem supernovæ, ut dicunt hodierni astronomi, quæ multo longius a Terra abest quam Sol et planetæ.

Fama Tychonis Brahe ita crescit, ut rex Daniæ, Fredericus II, ei parvam insulam *Hven*, non longe ab Havnia sitam, det, ubi ei licet observatorium astronomicum coronæ sumptibus ædificare instar Persici observatori Marâgħa, ut supra dictum est. Hoc observatorium subterraneum anno 1576 perfectum, cuius soli tholi e solo eminent, maximum est totius Europæ; ei nomen datur *Uraniborg*, i.e. castrum Uraniæ, astronomiæ musæ.

Anno 1577 iterum aliquid novi apparet in cælo, magna scilicet cometa, quæ supra totam Europam transit.

Secundum Aristotelem cometæ putabantur infra Lunam in atmosphæra nostra moveri; contra, observationibus parallaxis diurnæ¹ Tycho Brahe demonstrat cometam tunc observatam multo longius abesse atque in orbita elliptica (res inaudita!) moveri inter planetas. Ex his observationibus librum conscribit c.t. *De Mundi ætheri recentioribus phænomenis* (1588).

Tycho Brahe intellegit progressus in astronomia fieri iam non posse, nisi nova et exactiora instrumenta



Adnotationes Tychonis Brahe de cometa anno 1577 super Pragam observata (Wikipedia).

confiantur. Ipse duodecim circiter instrumenta excogitat vel meliora reddit. Inter ea sextans astronomicus, cuius descriptio Latina decerpo de opere c.t. *Historia Cælestis Britannica* (1725), auctore Iohanne Flamsteed:

«Sextans astronomicus, prout altitudinibus inservit. Hoc instrumentum, usibus apprime accommodum, (inquit Tycho), ego primus ante annos plus minus 20 excogitavi; adeoque hoc nomen ipsi indidi, quod sextam circuli partem in circumferentia complectatur. Tria eiusmodi organa construxit Tycho, eodem modo se habentia, quoad exteriores limbos et pinnacidia, non vero quoad contignationes intrinsecas. Hic tamen sextans paucioribus erat refertus contignationibus; ut, scilicet, eius partes per cochleas disiungi et coaptari possent, et ita foret instrumentum portatile; atque non tantum solis siderumque intercapelinibus, sed et earundem altitudinibus rimandis apposite inserviet, et sic poli altitudines in variis terris explorarentur. Est autem sextans totus undiquaque orichalcicis laminis imbutus, idque adeo concinne, ut ex solido diceres orichalco fusum, nulla apparente combinationis rimula; habetque a centro ad circumferentiam 4 cubitos vel 6 pedes. Iuxta centrum est cylindrus cum regula tendente ad circumferentiam, cuius beneficio observationes fiunt, intermediante pinnacidio, apud extremitatem regulæ, cum duabus rimulis, tantum ab invicem distantibus quantum cylindri diameter exigit; ut hinc inde paralleliter fiat observatio, sidusque centraliter citra hallucinationem denotetur. Circumferentia per puncta transversalia dividitur; cum hic modus sit omnium

aptissimus et in confiendo facillimus, nullique incertitudini obnoxius; quem alii postea in Germania (ait Tycho) sibi attribuerunt, præsertim Wittichius pro suo venditavit. Cochleis porro et componitur et disiungitur hoc instrumentum, atque eiusdem fabricatio et usus descripta videantur in Tychonis Astr. Instaur. Mechan. » (vol. III, Prolegomena).

Post sextantem, Tycho Brahe quadrantem muralem sive Tychonicum conficiendum curavit, cuius radius erat duorum metrorum et quo stellarum positionem definire poterat subtilitate usque ad decem secundas arcus.




Quadrans muralis sive Tychonicus (Wikipedia).

Tycho Brahe non ignorat theoriam heliocentrismi, quam Copernicus paulo ante proposuit, at ei non omnino assentitur. Eam tamen, cum stellarum errantium motus facilius explicet, partim assumit ac mixtam theoriam, quæ suo nomine vocatur, proponit, ubi Sol et Luna circum Terram immobilem circumaguntur, sed ubi planetæ circum Solem moventur. Ipse dicit se a Pontico Heraclide (IV sæc. a.Ch.n.) in hanc cogitationem inductum esse.

Copernici heliocentrismum non propter dogmaticas rationes respuit, sed solum propter proprias observationes; dicit enim, si Terra circum Solem agitur, se parallixin post intervallum sex mensium observare debere, quæ non observatur. Re vera parallixin observare non potuit, quia Sol tantum distabat, ut angulum parallaxis metiri non valeret; non ante undecimum sæculum angulus parallaxis annuæ demonstrari potuit instrumentis multo subtilioribus.

Anno 1588, Frederico II mortuo, eius successor



Hoc schemate monstratur systema Tychonis Brahe (De Mundi ætheri recentioribus phænomenis, 1588).

Christianus IV Tychoni Brahe iam non favet, qui anno 1597 cogit tur insulam *Hven* relinquere. Migrat cum familia in Bohemiam, ubi, mathematicus imperatoris Rudolphus II factus, se collocat in castrum *Beneteck* prope Pragam situm. Ibi optimum discipulum habet, Iohannem Kepler nomine, quocum tamen diu laborare non potest; supremum enim diem obit anno 1601, Keplero dicens «Ne frustra vixisse videar». His verbis optat ut Keplerus pretiosas observationes divulget, quas per totam vitam sedulo collegit; quod fit anno 1602 sub titulo *Astronomiae instauratae progymnasmata*. His observationibus utens, Iohannes Kepler valebit mechanicam cælestem invenire.

Tycho Brahe, ut plerique astronomi eiusdem temporis, astrologiam quoque exercet, necnon pharmacologus est, multumque incumbit in remedia nova invenienda.

Iohannes Kepler (1571-1630), uberrimus Germanus astronomus mathematicusque, vitam difficilem habuit. Eius pater, mercenarius in exercitu Ducis Virtenbergensis, sæpe domum diu relinquebat. Dum puer scholam Latinam frequentat, cogebatur in agris laborare ut vicarius operarius. Postea seminarium Lutheranum intravit; ibi mathematicæ etiam studuit cum astrologo Michaeli Maestlin, qui eum Copernici sistema heliocentricum docuit. In animo habebat pastor protestans fieri, cum comperit scholam protestantem Gradecii (*Graz*) mathematicæ magistro egere. Sententiam tum mutavit et 23 annos natus studia theologiae reliquit. Keplerus numquam diploma academicum habuit.

Dum Gradecii docet, primum opus edidit, c.t. *Mysterium Cosmographicum*, ubi suas cogitationes de Universi structura patefecit. Hic liber non est plane

scientificus, sensu hodierno; volebat enim theoriam prædictam confirmari observationibus, cum contra oporteret theoriam excogitari ex observationibus. Keplerus cogitabat de quinque solidis perfectis Platonis,² quibus iam Græci significationem mysticam tribuebant, atque eis usus est ad Universi structuram describendam; inter sex planetas (plures tunc nondum erant noti) sunt quinque spatia, cum Platonis solidis congruentibus. Keplero planetarum dispositio est manifestatio voluntatis Dei et signum excellentiæ divinæ creationis.

Keplerus tunc etiam nonnulla kalendaria cum prædictionibus astrologicis divulgavit; fuit enim astrologiæ fautor et putabat eam fieri posse veram scientiam æque ac physicam.

Anno 1600 propter fidem Lutheranam Gradecium relinquere debuit. A Tychone Brahe invitatus, Pragam petivit. Cum Tychone dissensiones habebat, præsertim cum ipse Copernici heliocentrismo esset imbutus. Tycho ab eo petivit ut Martis orbitam accurate computaret; putabat se rem celeriter perfecturum esse, sed re vera sex anni fuerunt necessarii; intra hoc tempus invenit primam et secundam legem,³ quibus reguntur corporum cælestium motus.

Anno 1601 Tychoni Brahe succedit (usque 1612) ut mathematicus imperialis aulæ Rodolphi II. Eodem anno opus divulgat *De fundamentis astrologiæ*, quo opere conabatur astrologiæ dare formam exactæ scientiæ.

Anno 1604 iterum in cælo apparuit supernova, anno insequenti iam extincta. Qua observata, opus conscripsit *De stella nova in pede Serpentarii* (opus anno 1607 editum).

Dum operam dat Martis orbitæ mathematicæ definiendæ, comperit necessarium esse plura scire de scientia optica, præsertim ad phænomenum lucis radiorum in atmosphæra refractorum accurate describendum; anno 1604 editur *Astronomiæ pars optica*.

Anno 1609 publicatur *Astronomiæ Nova*, ubi narrat difficultem investigationem, qua invenit duas leges fundamentales motuum corporum cælestium.

Anno 1610, iterum opus de astrologiæ divulgat, c.t. *Tertius interveniens*; eo respondet astrologis, quibus displicet astrologiam cum physica comparari, ut propositum erat in præcedenti opere.

Eodem anno, lecto Galilei libro *Sidereus Nuncius* inscripto, ubi narratur quomodo auxilio novi instrumenti optici, quod «perspicillum» vocatur, Galileus invenerit «quattuor planetas circa Iovis stellam disparibus intervallis atque periodis⁴ celeritate mirabili circumvolutos», Keplerus ad Galileum epistulam mittit sub titulo *Dissertatio cum Nuncio Sidereo*

editam; ibi eum laudat pro systemate heliocentrico assumpto et miro usu novi instrumenti optici.

Anno 1611, breviter mutuato uno e Galilei novis instrumentis opticis, Keplero licet duabus tantum noctibus nova corpora cælestia superiore anno detecta observare; quas observationes divulgat in opere c.t. *Narratio de observationis quattuor Iovis satellitibus*; primus tunc vocabulum «satelles» adhibet in textu astronomico. Keplerus, qui magno cum entusiasmo Galilei «perspicillum», mox «telescopium» vocatum, invenit, eodem anno edit opus mathematicum, c.t. *Dioptricæ*; ibi lendum theoremam 141 theorematibus definivit, id quod Galileus non fecerat.

Anno 1613 Theodisce et postero anno Latine divulgat opus, c.t. *De vero anno quo æternus Dei Filius humanam naturam in utero Benedictæ Virginis Mariæ assumpsit*; ibi demonstrat in kalendario christiano irrupsisse errorem quinque dierum atque Iesum re vera anno 4 a.Ch.n. natum esse.

Anno 1615 Keplerus valde perturbatur, quod eius mater arguitur esse malefica; multæ feminæ tunc temporis huius criminis insane insimulabantur et crudeliter cruciabantur, antequam in rogo perirent. Recordemur oportet non diu ante editum esse clarum librum, c.t. *Malleus maleficarum*. Keplerus sex annos matrem coram tribunalia defendit et in fine eius liberationem obtinet; sed paulo post, longa captivitate exhausta, eadem obit.

Anno 1618 tertiam legem motuum corporum cælestium invenit, quam postero anno divulgat in opere, c.t. *Harmonia Mundi*. Hunc titulum elegit, quia putabat vinculum exstare inter musicam et astronomiam; cum singulis notis musicis congruit certa planetæ celeritate.

Ultima eius opera sunt *Epitome astronomiæ Copernicæ* (1621), *Chilias logarithmorum* (1624) et *Tabulæ Rudolphinæ* (1627), ubi indicantur stellarum positiones secundum Tychonis Brahe observationibus.

Keplerus diem supremum obiit anno 1630; restabat opus ineditum, quod filius anno 1634 divulgavit. Hoc singulare opus vocatur *Somnium* atque habetur ut prima fabula fictæ scientiæ. Eius scopus erat Copernici theoriam heliocentrismi latius diffundere, monstrans quomodo observatori in Luna sedente apparerent motus Solis, Terræ planetarumque.

Eximum uberrimumque ergo fuit Kepleri ingenium; nondum tamen habebat totam mentem scientificam, qualis nunc esse solet.


Denique Heraclides Ponticus, cuius systema ostenditur in huius fasciculi tegumento, non memoratus est in primo capitulo. Ille autem est philosophus et astro-

nomus quarti sæculi a.Ch.n., Heracleæ in regno Ponti natus; Platonis Academiam frequentavit atque Aristotelem novit.

Novum sistema astronomicum proposuit, quo Terra manet in centro Universi, sed planetæ Venus et Mercurius aguntur circum solem.


Primus etiam est, qui autumaverit Terram circum axem suum verti ac completam rotationem intra 24 horas perficere. ☺

1. Parallaxis: est antiquum vocabulum, quo significabatur «mutatio», sed cui astronomi sensum peculiarem dederunt; parallaxis stellaris est mutatio positionis alicuius mobilis corporis cœlestis in immobili sphæra stellarum hærentium inter duas observationes certi temporis intervallo factas.



a. parallaxis vocatur diurna, si temporis intervallum est duodecim horarum; nam intra hoc intervallum Terra dimidiam revolutionem circum suum axem facit, unde fit ut Terræ diametrum inter duas observatoris positiones intersit. In hoc schemate A et B sunt observatoris positiones post 12 horas; si quis corpus cœleste observat, videt id non apparere eodem loco sphæræ hærentium ex positione A et B.
Parallaxis geometricæ definitur angulus trianguli, cuius basis est Terræ radius et sumnum corporis cœlestis observatum; hoc angulo computari potest distan-

tia corporis observati. Facile intellegitur quo longius distare corpus, eo exiguum fieri angulum, ita ut vix mensurari possit.



b. parallaxis vocatur annua, si temporis intervallum est 6 mensium; tunc distantia inter observatoris positiones A et B est diameter orbitæ terrestris; haec tamen adhiberi non potest, nisi in systemate heliocentrico, ubi Terra circum Solem circumagit (imagines Wikipedia).

2. Solidi Platonis dicti sunt formæ geometricæ, quas Euclides in *Elementis* primus descripsit; tetraedrum, cubus, octaedrum, dodecaedrum et icosaedrum sunt polyedra perfecta, quia singula eorum latera sunt polygonia isometrica.

3. Tribus Kepleri legibus describuntur planetarum motus circum Solem, quorum causa manet ignota; sunt:

(1) planetæ cursum ellipticum habent, in cuius centro est Sol.

(2) celeritas motuum planetarum non est constans; celeritas maxima est cum minima fit distantia a Sole (perihelia); contra minima cum maxima fit haec distantia (aphelia).

Ex his legibus aliquid novi intellegitur; Keplerus enim ad quendam collegam scribit haec: «Aliquid iam certum est: e Sole emanat vis, quæ planetam capit.»

(3) tertia lex vocatur lex periodorum vel etiam harmonica. Omitto formulam mathematicam; satis est scire hoc: omnes ellipticæ orbitæ, quibus est idem maior axis, quantacumque est orbitæ excentricitas, eandem revolutionis periodum habent. Vocabulo autem, quod est «periodus», astronomi sensum novum dederunt; est temporis intervallum inter duos transitus alicuius corporis cœlestis per certum punctum eius orbitæ.

ADHVC CÆLVM VOLVITVR

adagium 3308

DE DEO ET FVTVRO GENTIS HVMANÆ

QVID CENSEAT PHILOSOPHVS

– *colloquuntur Tommius Lehtonen et Samius Jansson –
(et aliquando interloquuntur personæ ex ludis Terentianis Ciceronisque scriptis)*

Quondam in fasciculo *Melissæ* scripsi de Dei existentia, alibi de calamitatibus genti humanæ imminentibus.¹ Nuper data occasione de his ipsis rebus interrogavi Finnum theologum et philosophum Tommium Lehtonen, quoius responsis studiosi tenebimini infra, cari lectores. Tommius est sacramento consecratus sacerdos, qui, mirum, demonstrationes Dei existentiæ philosophicas approbat nullas, quod autem minime impedit, quin aliquando *sentiat* Deum exsistere. Secundo, Tommius (sicut ego ipse) serio approbat rationes, quibus quidam philosophi demonstrant humanas civitates Occidentales naufragio appropinquare œconomico et œcologico celerrime, quo facto tam vehemens energiæ consumptio cui sumus assueti erit nihil amplius nisi res memoranda historiæ recentis, quæ iam numquam nobis recuperari poterit. *Quod remedium nunc huic malo inveniam?*²

SAMIVS. Quis es et qualis est tua familia?

TOMMIVS. Nomen mihi est Tommius Lehtonen et habeo familiam in qua insunt uxor et tres gnati, immo quattuor quidem...

SAM. Hahæ! Placebit opinor lectoribus *Melissæ* te non meminisse numerum liberorum tuorum...

TOM. Hehe! Iam fallor, dum eos enumero... Verum, si quis interrogat de filiis filiabusque meis, semper est mihi iudicandum, debeamne familie adnumerare adulitos meos liberos et Kirsikkam³ filiam meam, quæ iam est adulta sed adhuc domi habitat, vel omnes adnumerem sine distinctione inter adultos et iuniores, sed sine ullo dubio licet dicere me patrem factum esse quater. Tres habeo liberos naturales ac filium natu minimum ex India nobis adoptatum, nunc qui annos est quinque natus.

SAM. Qua eruditione es ornatus?

TOM. Theologus sum, nomen rettuli in tabulas universitatis Helsinkiensis, ubi theologiæ studebam exeunte decennio octogesimo et ineunte nonagesimo. Postquam sum factus magister theologiæ, studia mea perrexi in eodem instituto, in enim instituto theologiæ systematicæ, et delegi philosophiam religionum, qua doctrina disputans doctor theologiæ sum factus in universitate Helsinkiensi. Ita eruditus sum doctrinis theologiæ et philosophiæ. Et hodie annos sex iam et dimidium curo sedem lectoris philosophiæ in universitate Vasaensi.

SAM. Et interim, ut nunc memini, post dissertationem etiam symbolas haud paucas academicas divulgasti. Et nuperime divulgasti opus integrum. Visne narrare de eodem libro processuque eius scribendi?

TOM. Libenter. Scripsi opus de quæstionibus philoso-

phicis et partim sociologicis quæ attinent ad religiōnum profanationem.⁴ Eiusdem operis argumentum principale est hoc, quo pacto, ut valde bene et publice notum est in rebus publicis Occidentalibus, mutati sint mores recentibus decenniis vel reapse etiam longius – licet enim asserere hoc factum esse iam decursu aliquot sæculorum – ac ecclesiæ et variarum societatum religiosarum status socialis et vis culturalis debiliora sint facta. Vocatur igitur hæc res «profanatio», cui rei præcipue sociologi recenter studebant, sed quæ etiam studium philosophicum excitat. In opere meo inter alias res tracto hoc, quo modo religio manifesto facta sit privata præcipue in Europa Septentrionali, Canada, Australia et Nova Zelandia. Rarissimi enim hodie censem religionem esse rem communem, et plurimi eam existimant esse rem proprii studii cuique vel propriæ neglegentiæ.

SAM. Fuistine peregre aliquando et si fuisti, quid ibi fecisti?

TOM. Ita vero, fui enim in India annis 2003-2004 stipendio Academiæ Finnicæ remuneratus Colcatæ vel Calcuttæ, quo nomine etiam nota est illa urbs, et ibi statum habui investigatoris visitantis. Versatus sum ibi Calcuttæ cum mea familia menses octo. Illinc profecti sumus propter uxoris meæ Riikkæ propositum opus doctorale scribendi, nam Riikka ibi collegit materiam campestrem, ut academice dicitur, de maternitate mulierum sine statu sociali. Etiam nobiscum ibi Colcatæ habebamus meas duas filias, Matildam, quæ est mea natu maxima gnata, mox viginti et quinque annorum, et Kirsikkam. Erat longissimum mihi spatium temporis peregre illud, et valde gratum quidem memorabileque. Aliquando cum ero emeritus et mea officina rude donatus fortasse migrabimus Colcatam, quæ est mihi et uxori meæ urbs urbium. Riikka uxor mea illo quidem commodo ornata est, quod lingua Bengalica loqui scit, sed etiam Anglica ibi utilis admodum est lingua. Ipse etiam didici paulum linguæ Bengalicæ ibi me ipsum docens, nam studueram antea linguæ Sanscriticæ et sic iam alphabetum Bengalicum cognoveram, nam Bengalice eisdem characteribus scribunt. Sed libri cuiusdam autodidascalici auxilio didici elementa grammatica et verba utilia, sed postea quidem non exercebam artem hanc elementarem et sic fere oblitus sum illius. Licet dicere me nonnisi aliquas simplices sententias scire lingua Bengalica exprimere.

SAM. Quid de lingua Sanscritica? Qua facilitate illiam recordaris?

TOM. Haud valde bene. Oblitus fere omnino sum, et idem dicam de aliis linguis classicis, quibus studebam – ita vero, linguarum studium est pars magni momenti

inter studia theologica. Ita studebam linguae Græcae Novi Testamenti, quæ paulum differt a classico et alto sermone Græcarum litterarum, deinde Hebraicæ etiam, Latinæ et Arabicæ linguae dabam operam. Sed sine exercitio memoria mihi evanuerunt, nam post studia numquam repetivi illas classicas linguas.

SAM. Qualis res publica est India? Quid censes de paupertate? Vidistine pauperes et miseros homines ibi?

TOM. Ita vero, in India paupertatem videbis, hanc rem ibi infeliciter nemo potest evitare, exceptis fortassis illis, qui nonnisi iter ad situs turisticos faciunt aliterque in deversorio suo manentes. Sed condiciones vivendi hominum in India vehementer differunt, ita India pro certo est civitas in ordines divisa. Ibi enim exsistit tanta opulentia et prosperitas, quam imaginari vix potes in Europa, nam ibi potes admirari veteres maharadzas, qui magnificas regias habitant velut Croesus, sed hodie in India etiam sunt multi, qui negotiis agendis sese industrialibus mercatoriisque ac sortes emendo et vendendo consortiorum internationalium valde reddiderunt opulentem. Sed simul in India vivit immensa multitudo hominum, qui laborant maxima paupertate et miseria, et quamvis India decursu decenniorum mutata et locupletior reddita sit, tamen paupertas ibi problema tam vehemens est, ut difficillime mihi videatur sub spatio unius vitæ humanæ illud problema inde posse deleri. At etiam licet mirari, si paupertas ex India deletur, qualis sit eius rei effectus respectu circumiacentium, nam in India exsistunt immensa problemata circumiacentium, quod paupertate gravissima et pollutione pessima ibi terra et civitas degeneratae sunt. Ibi nullum habent ordinem, nullum institutum nullasque fabricas ad reliquias sordidas delendas et detoxificantandas. Pauperes igitur in ruderetis vivunt, et re ipsa quæstū fodiunt reliquias sordidas ac res etiam tales deiectas petunt, quas possint adhibere vel vendere. Ita paupertas et pollutio videntur esse insuperabilia problemata ibi. Multi mihi narraverunt maxime sibi animum perturbasse in India immensam ac vehementer advolventem pollutionem et ubique expansam paupertatem. Aliqui igitur nolunt redire in Indianam propter problemata ista, sed alii, qui post ictum culturalem se restituere valent, incipiunt ibi videre divitias immateriales, cultura enim Indica est vetustissima et radices habet antiquiores quam Occidentalis cultura. Hæc quidem res patet istoc pacto quo etiam condicionibus vitæ valde egenis viventes homines videntur sæpissime penitus cognovisse litteraturam classicam a suis propriis maioribus traditam. Ibi enim fieri potest, ut familiæ pauperis alicuius gnatus memoriter recitet fragmenta longiora e *Mahabharata*. Verum, in Finnia plane nulli pueri vel nullæ puellæ sciunt *Kalevalam* memoriter recitare. In India traditio artium ut litteraturæ, culturæ et artis picturæ floret et viget. Ipse spero fore ut illa artium traditio in India servetur,

quamvis magnis in urbibus vita multimodis mutata sit. Ista mutatio urbana oritur ex opulentia œconomica, quæ accumulata nimirum est in manibus parvi numeri divitum. Hoc patet in urbium viis, quæ prætextæ sunt immensis novis ædificiis et per quas divites vehuntur pretiosis autocinetis ex Occidente importatis. Præcipue cives urbani se induunt vestitu Occidentalí. Ipse spero fore, ut hæc cultura Occidentalís, quæ omnes res uniformes reddit, sua bracchia ubique non extendere valeat, sed ut populus Indicus digne servet cognitionem de suis ipsis radicibus.

SAM. Quale tibi videtur sedem curare lectoris philosophiæ in studiorum universitate? Estne illud institutum mutatum? Quo in statu se esse sentiunt investigatores academicí hodie ac firmiorne erat status antea eis?

TOM. Ita vero, valde quidem mutatum est annis recentibus viginti. Ipse enim ab ineunte vere anni 1993 usque hodie iam eidem instituto servio. Ita spatium viginti fere annorum iudicare potis sum. Tribus in rebus præcipue istud mutatum esse videtur. Primum, interrete penitus subvertit condiciones investigandi, tum enim multo facilius hodierni academicí sibi materiam quam antea investigandi possunt petere, tum autem frustrati dumtaxat invenire possunt hodie symbolas innumeræ iam electronice divulgas de re quam piam, ita quod sic tot res iam inventæ reperi possunt, hoc in diluvio immenso informationis suffocari se sentiunt fere. Secundo, altera mutatio quæ ponderis est maximi, ineunte decennio 90, investigatores academicí haud æque numerosi erant ac hodie. Ita etiam quod tum admodum pauci erant investigatores, tanto igitur minus divulgatae erant symbolæ academicæ quam hodie. Et revera quondam didici existimatum esse ex omnibus investigatoribus post renascentiam et originem scientiæ hodiernæ natis haud minus quam nonaginta centesimas partes adhuc vivere hodie! Ita dicere certissime licet numerum investigatorum recentissimis temporibus auctum esse exponentiali dumtaxat magnitudine. Simil fortissime auctus est symbolarum academicarum numerus divulgatus. Et deinde tertia mutatio quæ mihi etiam pessima esse videtur in studiorum universitate est hæc, qua quidem administratio renovata est et investigatores nunc technocratice custodiuntur, quæ rerum condicio nihil attinet ad scientiam augendam vel ad instituendos discipulos, itaque hodie propter istam mutationem administrandi diligenter examinantur, quanta industria auctorati opus suum faciant anque ipsi officinam suam laboriose curantes producant satis numerosos et qualitate eximios fructus academicos. Etiam systemata computatralia, quibus nimirum academico ab instituto custodiuntur occupati efficacissime, valde aucta sunt. Videtur mihi universitas esse studiorum hodie fere velut industrialis officina designata ad producta academica construenda ut hæc deinde in mercatu vendantur. Ita mundus œconomicus et industrialis furtim intulit in mundum academicum

suos valores, quibus hodie regitur et custoditur tota studiorum universitas.

SAM. Nonne tibi videtur esse res valde idonea, studiorum universitatem coactam esse se accommodare ad mutationem culturalem totius civitatis? Sic igitur studiorum universitas desiit esse institutum ad artes academicas fovendas, sed potius hodie videtur esse institutum permutatum quod technicis mercatoriisque artibus peritos ingenarios et oeconomistas producit hunc ad finem, ut illi fideliter serviant civitati, annon?

TOM. Hem – sic vero res iure describi potest.

Quodammodo revera œconomico-technicæ condiciones, quibus definitur rationalitas, ubique effectum videntur habuisse, etiam in universitate studiorum, etsi adversaria sint ad huius proposita, nam ego ipse saltem antea, forsitan nimis credulus et suavitatem mihi petens agendi in mundo academico, artem esse officinæ academicæ curam habere mihi finxi potius quam laborem. Itaque etsi multi adhuc velint videre studiorum universitatem ut cunabula artium liberalium, infeliciter hodie eadem cunabula vi administrationis technocraticæ potius ad officinam industrialem permutata sint.

SAM. Qualis tibi videtur esse studiorum universitatis curriculum vitae si consideras eius historiam a primis scholis cathedralibus, in quibus erudiebantur sacerdotes, usque ad hodiernum statum eius?

TOM. Censeo studiorum universitatem sensim recessisse a studiis litterariis ac a disciplinarum humanorum collectione traditionali et magis avidiusque petisse scientias naturales et disciplinas technologicas. Istæc rerum condiciones imprimis trahunt originem a tempore, quo scientia moderna sibi alas accepit ineunte ævo novo, sæculo quinto decimo vel si serissime septimo decimo sæculo, ita ex eo dumtaxat tempore hæc novas notiones producens scientia moderna triumphans etiam passibus immensis hodie procedit. Et præcipue, si verba de processu scientiæ facimus, omnes aliorum generum disciplinas manifesto scientiæ naturales fortissime superant. Si quæ disciplina progressa est, physica, chemia et biologia, hæ quidem maxime sunt progressæ. De humanioribus autem disciplinis difficilius dictu est, quid sibi velint earundem progressus, etiamsi e. g. philologiæ generalis experti possint certe dicere, quo modo hæc disciplina progressa sit. Etiam philosophia progressa est, quamvis dubitare nimirum licet maxime, qua ratione sit progressa. Sic se habent res et in aliis disciplinis philosophiæ proximis, ut in theologia, et præcipue in theologia systematica. At scientiæ naturales certissime progressæ sunt, et insuper quadam mensurabili ratione. Quod enim istæc scientiæ naturales et inter easdem præcipue disciplinæ practicæ ut technologia et medicina, quæ valde novas produxerunt notiones et novas methodos technologicas, tam triumphales sunt, sic iam solum propter hoc scilicet technologia in mundo academico et medicina statu firmissimo ornatæ sunt disciplinæ. Et vulgus easdem existimat

esse disciplinas maximi momenti rationibus variis, ac quædam opinio ab multis accepta est hæc, qua haud rari censem prosperitatem Occidentalem vel globalem partim suam originem traxisse a notionibus scientificis, et præcipue ab hoc, quod scientiarum naturalium et technologiæ studium produxerit novas methodos technologicas, quibus relevata est vita hominibus...

SAM. Atqui iustene loqueris de globali prosperitate? Nonne rectius utaris verbis «globali miseria» – etsi nunc fortioribus fortassis verbis utar, verum, ne hic oblii simus maximam partem mundi potius in paupertate vivere asperima.

TOM. Non nego, verum dicis, sed si rem spectamus nonnisi aspectu universitatis et scientiæ progressus, ita videntur mihi scientiæ naturales, technologia ac hodie etiam scientiæ mercatoriæ ad scenam academicam triumpho accessisse, et sic facile intellegimus, quam ob rem istæc habeantur disciplinæ regales. Et secundo, præter hoc, quod naturales scientiæ passibus immensis progressæ sunt, e. g. physica maxime sæculo vicesimo processit, etiamsi hodie forsitan haud æque celere ac eo tempore quo Albertus Einstein versabatur in arena academicæ.

SAM. Multum post ipsum etiam invenerunt physici.

TOM. Ita vero, haud raras res post Albertum Einstein invenerunt, sed saltus maximus in ista disciplina factus est ineunte vicesimo sæculo, cum physici acceperint physicam per theoriam relativitatis explicatam. ☺

(continuabitur)

1. *Melissa* 137, 167 et 168.

2. *Terentii Andria*, 468.

3. Nomen Finnicum *Kirsikka* significat fructum arboris Pruni cerasi. Kirsikka peperit infantem sicutque Tommum in avum mutans, dum interim operam dabam ad hanc symbolam scribendam, et mox domum paternam reliquit.

4. Tommi Lehtonen (2012). *After Secularization – A Philosophical Study of the Preconditions of Religion*. Elon, USA.



Tommus Lehtonen

DE MATRIMONIO LEGIBVSQVE FERENDIS

– *scripsit Francisca Deraedt* –

Tune etiam, bone lector, nonnumquam cogitas nos versari in mundo non iam ita apto? Aut contra, nos mundo non iam ita aptos esse? Nonnullas res nimis celeriter progredi? Quæstiones inde oriri multas? Desiderari responsa vera?

Dum in Francogallia de matrimonio homosexuali pæne fit bellum civile, in vicina Belgica nunc molliter disputatur de euthanasia pueris concedenda. Diversæ quidem quæstiones, quæ tamen ad eandem pertinent difficultatem: quid agendum est de libertate, scientia, cultu civili? Ubi sunt regulæ? Licetne nobis huiusmodi regulas instituere?

Cum ante decem annos (die 30 m. Ianuarii a. 2003) Parlamentum Belgicum ratum fecit matrimonium hominum eiusdem sexus, nemo reclamavit in vii. Et tamen, si ambulas in utraque regione, vix ullam videbis differentiam inter Gallum et Belgam – dum tacent quidem, nam postea ex auditu statim scies quis sit Massiliensis, quis Leodiensis. Sed serio, variæ videntur esse huius diversitatis (de populi reclamatione dico, non de accentu locali) causæ, si sociologis credimus: imprimis politicæ, quod in Francogallia instituta dicuntur esse valde «centralizata» (sit venia verbo) indeque magis ponderosa. Etiam sociologicæ, quod Francogalli stabiliorem tenere velint hominum societatem. Sed prima causa in eo est, ut videtur, quod Belgæ ante decem annos non uno loco tractaverunt de matrimonio deque adoptione, quæ duobus annis post est omnibus concessa. Similiter de utraque re decernere, fortasse mentibus est nimium.

Nullo modo volo hic proprias publicare sententias, neque delicatas tractare quæstiones, tantum proponere cupio, benigne lector, observationes nonnullas.

Sæpe fit ut ridiculum non longe absit ab ardentí studio; nam cum adversarii (nec «nemines», agitur enim de Philippo Barbarin archiepiscopo Lugdunensi deque Francisco Lebel burgimagistro octavæ regionis Parisinæ), cum ergo adversarii proclaimant matrimonium homosexuali esse portam apertam ad polygamiam, incestum et paedophiliam, loquuntur irrationalia. Similiter stulte iactatur ab homosexualibus coniugibus fabricatum iri liberos homosexualibus, cum inclinatio sexualis innata sit.

Apud nos, anno 2003, Consilium Status homosexuali matrimonio eo obstiterat, quod primus matrimonii finis esset procreatio. Quam sententiam Parlamentum ea ratione non est secutum, quod – nolite ridere, argumentum enim logica non caret – si matrimonium permitteretur sterilibus hominibus aut senibus, non esset causa cur homosexualibus denegaretur.

Laudibus tollitur, et quidem merito, institutum humanum quod vocatur familia. Quot latrones hanc habent excusationem, quod in bona familia crescere non contigit! Familia autem «classica», saltem in nostro cultu civili, constare solet e patre, matre et liberis. At spectemus circum circa: quot familiæ faciem adhuc præbent huius perfectæ structuræ? In Belgica tres partes (3/4) coniugum sunt divortio seiuncti, ac tertia pars eorum, qui liberos habent, omnino soli sunt ad pueros educandos.

Totius rei ratio tenetur uno vocabulo – sed quali! –: «libertas». Libertas coniugem eligendi, libertas pariendi aut non pariendi, libertas non iam amandi. Respiciamus ad præterita tempora, ac videbimus rem esse satis novam. Usque ad finem sæculi duodecimeti, matrimonium non est amantium coniunctio, sed familiaris et socialis consociatio. His condicionibus amor haberí potius poterat ut periculum, quam ut vinculum, si quando coniunx alibi amore captus aut capta officium suum relinqueret.

Sæculo autem præterito, annis sexagesimis, facta est rerum permutatio multo maior, quam nobis nunc videatur: medicinæ progressibus factum est ut feminæ suam fecunditatē regerent. Hac statuendi facultate imago familiæ haud parum mutata est. Eodem processu videmus nunc pueros non iam uno eodemque modo generari, sed variis technicis medicis.

Hæc omnia traditas consuetudines necessario everterunt. Hodierni homines primatum dant amori, qui sensus, etsi paradoxon videri potest, causa est cur tot nostris temporibus fiant divortia. In hoc autem rerum contextu, naturalis est homosexualium vindicatio: ei etiam ius petunt publice amandi.

Habeant in hac re singuli suam persuasionem. Restat ut difficultatem quandam humanam agnoscamus: tempora mutantur, et nos non facile mutamur in illis.

Hæc pauca sine studio et ira! ☩

IN MEMORIAM GENOVEFÆ IMMÈ

– *scripsit Francisca Deraedt –*

Nuper certiores facti sumus Genovefam Immè, Latinam poetram, Latinitatis vivæ fautricem, editricem periodici c.t. M.A.S., die II præteriti mensis Iunii esse vita functam, ætate 83 annorum.

In studiorum universitate discipula fuerat clari philologi Petri Grimal, cui maximam semper dedit venerationem. Magistra facta, in bibliotheca Palensis lycei, ubi docebat, aliquando forte incidit in exemplar *Vitæ Latinæ*, quod mirans evolvit. Paulo post, anno 1969, inter *Vitæ Latinæ* conventum Avennione institutum experta est quam iucundus et utilis sit usus linguae Latinæ inter homines variarum nationum. Qui sermo, ut ipsa sæpe narravit, postea etiam amoris vinculum fuit inter ipsam et maritum Antoninum Immè. Hoc enim matrimonium omnino fuit Latinum, ut in subiuncto nuntio ipsi coniuges professi sunt.

Ad vivam ergo Latinitatem firmiter conversa, Genovefa Immè varia scripta edere cœpit in *Vita Latina*, *Voce Latina*, *Latinitate*, *Melissa* necnon mariti periodico cui titulus tunc temporis erat *Aventino*, mox autem in M.A.S. (*Memento Audere Semper*) mutatus est.

Præmiis sæpe honestata est in litterariis certaminibus: in Certamine Capitolino anno 1973, 1975, 1976, 1977, 1978, 1980, 1984; in Vaticano Certamine anno 1980, 1981, 1983.

Inter numerosa eius opera hæc liceat memorare: *Sæculorum transvectio*, Leichlingen, Domus editoria Rainardi Brune, 1976.

Amatoria periegesis. Voyage d'amour, carmina bilingua, Mazet St Voy, Tarmeye, 1991.

Per auras iacta. Jeté au vent, Tarmeye, 1993.

Aloisii Hémon Maria Capodelania, narratio Canadica in Latinum versa a Genovefa Immè, Domus editoria Rainardi Brune, 1995.

Haikai quotidiens. Haicua cottidiana, Tarmeye, 1998.

Pali (Pau) autem, in urbe ubi habitabat, Genovefa Immè ægre ferebat lapideum monumentum erectum esse in honorem linguae Zamenhofianæ sive esperanticæ, tamquam variarum gentium vinculi. Itaque, ut ipsa in *Melissæ* fasciculo n° 14 explicuit, cum bonos cives videret «ante monumentum consistere et legere vultibus admiratione reverentiaque affectis», statuit ad magistrum urbis, Andream Labarrère, epistulam mittere in qua, inquit, «et Latinam linguam inter gentes commode et vivide vigentem exemplis documentisque variis illustrabam et rogabam ut alterum erigeret monumentum in Latinitatis Vivæ honorem. Qui magister urbis mihi respondit id, quod peterem, ‘non posse fieri’. Tum ego, quæ pugnax et obstinata sum, ei alteram epistulam misi (...) Hæc est pugna mea: ut ‘mea’ fiat ‘nostra’ vos oro et obsecro, lectores! Nam magno auxilio mihi eritis si hanc unam brevem sententiam ‘Ego quoque monumentum in Latinitatis honorem erigi velim’ in chartula cursuali scribetis, nomine vestro et urbis vestræ addito, atque hanc chartulam mittitis ad me.» Quo præconio et in *Melissa* et in M.A.S. et omni alia ratione publicato, 327 huiusmodi chartulas

LATINUM MATRIMONIUM

Propter simile Latinitatis studium inter se cognoverunt...
 Latino sermone mutue scripserunt...
 Latino sermone alter cum altera sermocinati sunt...
 Latino sermone mutue amari cœperunt et perrexerunt...
 Latino sermone ante Deum hominesque sacris matrimonii vinculis coniuncti sunt in Villæ Sanctæ Cæciliæ sacello Vitiniæ – Romæ die 31 Iulii mensis, anno 1978
 Latinum sermonem sibi coniugalem cottidianumque sermonem in futurum fore, sicut adhuc fuit, constituerunt, libentissime postposito Italico Francogallicoque sermone,

ANTONINUS IMMÈ et GENOVEFA METAIS nata DURON

Huius igitur posteriora scripta nomine «Genovefa Immè» obsignatum iri nolite mirari, sed omnes cum novis coniugibus lætamini, o vos Latinitati studetis!

accepit. Ac mirus fuit effectus: die enim 7 m. Ian. a. 1991 in horto publico ‘Beaumont’ a burgimagistro sollemniter inauguratum est monumentum in honorem Latinitatis erectum, quam cærimoniam nos quoque libenter participavimus. Ceterum idem burgimagister, Andreas Labarrère, cum Latinistis rem iam antea habuerat, quippe qui anno 1975 Pali iam accepisset quintum Vitæ Latinæ conventum, præsente Leopoldo Sédar Senghor.

Genovefa liberalitatem habebat eorum, qui causam aliquam sincere suscipiunt: folia enim M.A.S. inscripta, quæ pæne usque ad vitæ finem publicare perrexit, gratuito solebat circummittere, ea sola condicione ut



Pali, in horto publico ‘Beaumont’, monumentum Latinitati dicatum: «Latine loquere ut civis terrarum habeare».

lectores sive epistula sive telephonemate Latinam manifestarent amicitiam. Sic etiam factum est ut unus e lectoribus nostris, cum ea telephonice colloqui cupiens, compererit eam non iam esse responsuram. Sit ei terra levius. ☙

DE NOVIS LIBRIS

Terentius TUNBERG, *De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi sæculis XVI et XVII coluerunt*, Supplementa humanistica Lovaniensia XXXI, Lovanii, Leuven University Press, 2012, 135 p. ISBN 978-90-5867-916-1

Omnis Latinista ætatem litterarum renatarum habet auream ætatem, qua homines docti inter se Latine communicabant, «re publica litterarum» supra nationes instituta. Quo autem modo Erasmus, Budæus, Morus eorumque amici (aut inimici) scriperint, facile est comperire: satis est eorum scripta perlegere. At quo modo Latine loqui solebant illi homines, qui omnem dabant operam ut Romanorum sermo refloresceret? Hanc difficultiorem quæstionem – sunt enim indicia in tanta litterarum mole sparsim invenienda – magna eruditio multisque allatis testimoniis hic tractat Terentius Tunberg.

Imprimis, nolimus somniare: sermo Latinus illis hominibus non magis vernacula fuit, quam nobis ipsis. Educatio Michaelis Montani, quem et præceptor et famuli non alloqui solebant nisi Latine, est res etiam eo tempore omnino insolita. Multum sudabant parvuli a sexto septimove ætatis suæ anno ut valerent primum Latine legere, deinde ipsi scribere et loqui. Rationes autem docendi videmus fuisse satis severas: «Qui post annum quam inceperit institui, Latine recusabit loqui, multetur» (p. 21; e *Cæcili Secundi Curionis schola, sive de perfecto grammatico*). Terentius Tunberg iucundissimos etiam proponit dialogos scholasticos, quorum auctores sunt Hermannus Schottennius Hessus, Martinus Duncanus Batavus, Antonius Silvius; his accedunt Melanchthonis aliorumque paedagogorum sententiæ.

Ut emendatus proferretur sermo, utiles erant editiones colloquiorum familiarium. Non solum Erasmus et Vives, inter omnes clarissimi, huiusmodi scripserrunt colloquia formulasque Latine loquendi, sed etiam multi alii.

Deinde cum de Latina eloquentia agitur, de Ciceronianis certe cogitandum est, quæ controversia iam medio sæculo quinto decimo orta hic fuse enarratur.

Auctor postea pronuntiatum tractat, de quo præter opus Erasmi *De recta Latini Græcique sermonis pronuntiatione* inscriptum vix videntur esse indicia, nisi aliorum de aliis iudicia hic illic inventa: Scaligerum Britannum quendam Latine loquentem non magis intellexisse quam si Turcice esset locutus, Gallorum pronuntiatum intellegi non potuisse nisi a Gallis, et ita porro.

De Latine colloquendi usu et utilitate auctor multa affert exempla et testimonia lectu dignissima.

Paucis additis de usu linguæ Latinæ sæculis insequentibus paulatim derelicto, auctor verba quædam et locutiones explicat, quo penitus percipiamus quid intersit, exempli gratia, inter copiose et expedite loqui, inter familiarem et cottidianum sermonem.

Denique, perlecto hoc docto opere, facere non possumus quin cogitemus Latinitatem commercium inter gentes non solum tempore renatarum litterarum fovisse, sed adhuc etiam fovere posse. ☙ FD

In hoc fasciculo !

- Abies «electronicus» [G. Licoppe, F. Deraedt] p. 1
Unio Europæa præmio Nobeliano honestata [G. Licoppe] p. 2
«Vos ea nescitis, quæ nobis prisca vetustas tradidit» [M. Grifol] p. 4
De immenso cælo (IV) [G. Licoppe] p. 7
De Deo et futuro gentis humanæ quid censeat philosophus (I) [S. Jansson] p. 11
De matrimonio legibusque ferendis [F. Deraedt] p. 14
In memoriam Genovefæ Immè [F. Deraedt] p. 15
Bibliotheca Latina p. 16*

Imago tegumenti: mundus secundum Heraclidem Ponticum, cuius theoriam secutus est Tycho Brahe
(*Martianus Capella, De nuptiis Philologiae et Mercurii*; in: F. Bertola, *Imago mundi*, Bruxelles, La Renaissance du Livre, 1996).

MELISSÆ OCTAVVM ITER LATINVM IN ILLYRIAM

Cum Conventus internationalis Academiæ Latinitati Fovendæ Vindobonæ habendus sit a die 19 ad diem 21 mensis Septembris a. 2013, iter meditamus illic incohandum et perficiendum. Propositum est ut participes Vindobonam suo Marte petant Saturni die 21 mensis Septembris. Iter incohabitur Dominico die 22 ac finietur Vindobonæ Saturni die 28. Singuli suo Marte in patriam redibunt. Autoræda semilonga vecti circuitum faciemus per Budapestinum, Osijek in Hungaria, Seraium (*Sarajevo*), Mostar in Bosnia-Herzegovina, Ragusium (*Dubrovnik*), Spoletium (*Split*), Iadera (*Zadar*) et Zagabria (*Zagreb*) in Croatia.

Ei, qui hoc iter participare cupiunt, nos sine mora certiores faciant, quæsumus; ad rem enim bene ordinandam oportet satis mature scire quot sint participes.



Spoletium : palatum Diocletiani. Peristylum a Roberto Adam anno 1764 delineatum (Wikipedia).

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

